



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi  
Thomæ**

**Suárez, Francisco**

**Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621**

Cap. 6. Cur Spiritus sanctus non sit mago.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

& hoc nec Filio, nec Spiritui S. conuenire potest. Ergo solum in sensu à nobis declarato potest illa sententia verè intelligi. Et ideo illi auctores non distinguunt processionem per modum naturæ, & per modum intellectus, quia modus intellectus est, quasi constitutius illius naturæ.

Et fortasse hoc idem voluit Augustinus 5. de Trinitate. capit. 14. cum dixit, *Verbum esse Filium, quia procedit, vt natum, Spiritum sanctum non esse Filium, quia procedit, vt datum.* Quem imitatur Hugo de sancto Victore in summa sententiarum tractat. 1. capit. 7. Vt enim illa verba non coincidunt cum assertione ipsa, non videntur posse in alio sensu explicari. Aliam rationem habet idem Augustinus. 15. de Trinitate capit. 26. & 27. scilicet *Verbum esse Filium, quia procedit ab vna persona, Spiritum sanctum non esse, quia à duabus.* Quam etiam habet Anselmus in Monolog. capit. 53. Est tamen difficilis, vt iterum dicam capit. sequenti. Durandus verò in 1. distinctione 4. quæstione 1. & distinct. 6. quæst. etiam illam videtur accommodare ad superiorem. Quia quod procedit ab vna persona, procedit per modum naturæ, quod verò à duabus per modum voluntatis: ipse verò hoc explicat modo potius metaphoricò: ipse proprio, nam procedit ex falso principio circa has emanationes, quod, scilicet, non sint per intellectum, & voluntatem. Denique Athanasius in epistola ad Serapionem Episcopum dicit, Spiritum sanctum non esse Filium, quia diuina natura per vnã generationem, perfectissime, & totaliter communicatur, & ideo generatio in Deo multiplicari non potest: nam in humanis ideo multiplicatur, quia per vnã generationem non tota natura, sed pars naturæ communicatur. Ad quam rationem reuocandum est, quod Basilus dixit 5. contra Eunomium capit. 12. Spiritum sanctum non dici Filium, ne, si duo Filij in Trinitate admitterentur, in infinitum multiplicari posse videantur. Illa verò ratio, vt sit efficax, intelligenda est formaliter de communicatione naturæ, vt natura est, nam alias probaret non esse in Deo, nisi vnã processionem substantialem. Denique non est alienus ab hac sententia D. Thom. dicta quæst. 27. artic. 2. probans, Verbum esse Filium, quia intelligere est esse Dei, & in quæst. 35. probans, esse imaginem, quia procedit simile in forma Dei. Neque contra dictam sententiam occurrit difficultas alicuius momenti.

CAPVT VI.

Cur Spiritus sanctus non procedat, vt Patris & Filij imago.

**R**atio dubitandi est, quia Spiritus S. procedit à Patre, & Filio, & est æque similis illis, ac Filius Patri, quia similitudo hæc attenditur ex vnitæte naturæ, in qua tam sunt vnus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, sicut Filius, & Pater, ergo tota ratio imaginis superius assignata in Spiritum sanctum conuenit. Propter quam rationem Patres Græci, vt D. Thom. notauit, absolute vocant Spiritum S. imaginem Filij, vt patet ex Athanasio epistola ad Serapionem Episcopum post medium, Basilio lib. 5. contra Eunomium cap. 12. & lib. de Spiritu sancto, Damasceno lib. 1. de Fide, cap. 18. & (quod amplius est) Gregorius Nyssenus in vita Gregorij Thaumaturgi refert, hunc Gregorium ex diuina reuelatione accepisse quoddam symbolum fidei, quod per traditionem perpetuam in eius Ecclesia retentum est: in quo Spiritus sanctus vocatur imago Filij. Et ex Scholasticis Aureolus in 1. dist. 27. q. 2. in hanc sententiam inclinatur, & Durandus ibidem, eo modo in quo imago esse potest in diuinis personis, dicit, æque proprie conuenire Spiritui S. quam per accommodationem approprietur Filio.

Suarez: de Deo trinuno.

Nihilominus dicendum est, Spiritum S. non esse imaginem Patris, aut Filij, ac proinde in Trinitate solum diuinum Verbum esse proprie imaginem. Ita docet D. Thom. dict. q. 35. art. 2. & consentiunt reliqui Scholastici citati in superiori lib. cap. vlt. Patres etiam, quos ibidem retuli, præsertim Augustinus, & Ambrosius, imò & Athanasius in illis prioribus locis ita loquuntur. Idem sentit Anselmus in Monolog. c. 37. & sequentibus Rupertus lib. 2. de Trin. c. 2. & Richardus de S. Victor. lib. 6. de Trinit. c. 19.

Hæc verò assertio non est tam certa, sicut altera capitis precedentis, nam illa nititur testimonijs positiujs Scripturæ, hic verò solum habemus ex Scriptura argumentum negatiuum. Nam Filius sæpius vocatur imago, at Spiritus S. nunquam, ergo signum est, illud esse proprium Filij. Quod argumentum licet absolute non sit efficax, tamen quando prior assertio est frequens, & alterius nullum indicium datur, est magna coniectura, maxime antecedente interpretatione Patrum. Addere etiam possumus positiuum argumentum ex Scriptura sumptum media assertione capitis precedentis, qui si Spiritus sanctus est propria imago, vix intelligi potest, cur non sit etiam Filius, constat autem ex Scriptura Spiritum sanctum non esse secundum Filium, ergo nec imago est.

Rationem autem huius veritatis reddere, & solvere dubium propositum difficile est. Richardus 1. Ratio de S. Victore supra, quem D. Bonaventura imitatur, ait, Spiritum sanctum non esse imaginem, quia non procedit ita similis Patri, sicut Verbum, nam Verbum procedit à Patre cum virtute producendi ad intra, non autem Spiritus sanctus. Hanc verò rationem merito refellit sanctus Thomas, quia similitudo inter diuinas personas non est attendenda secundum proprietates notiones, alioqui nec Verbum ipsum esset perfecta imago Patris, quia in relatione Filiationis non procedit illi similis, neque accipit à Patre virtutem generandi, virtus autem spirandi notionem inuoluit, ergo, quod sub ea ratione Spiritus S. non accipiat illam, non excludit ab illo perfectam similitudinem, ergo nec rationem imaginis. Et confirmo hoc amplius, nam in virtute spirandi duo includuntur. Vnum formaliter, quod est essentia, & voluntas diuina, & quoad hoc ita communicatur Spiritui S. sicut Filio. Aliud de connotato, quod est proprietates aliqua prior origine Spiritu sancto, & hanc quidem accipit Filius, non tamen omnino similem proprietati Patris, sed solum quoad illam proprietatem originis, nam talis proprietates in Filio est Filiationis, & in Patre Paternitas, vt supra dixi, quia relatio spirationis actiue non pertinet ad virtutem spirandi, sed consequitur productionem Spiritus S. ergo etiam in illa virtute non est inter Patrem, & Filium specialis similitudo, quæ ad rationem imaginis quicquam conferat.

Aliter ergo Rupertus supra responderi Filium esse imaginem, Spiritum sanctum autem esse solum similitudinem, quia imago vnus est, similitudo verò potest esse plurius: Filius autem procedit ab vno, Spiritus sanctus à duobus. In qua ratione videtur Rupertus insinuare, imaginem præter similitudinem dicere imitationem, quæ vnus tantum esse videtur, & non plurius. Sed aduertere oportet, Spiritum S. procedere à Patre, & Filio, vt ab vno principio. Et ita esse similem illis, non vt sunt duo, sed vt sunt vnus, hoc autem modo non repugnat, imaginem esse plurius materialiter (vt sic dicam) formaliter autem, quatenus vnus sunt. Nam etiam in creaturis, si ponamus duos homines omninò similes in facie, posset optime depingi vna imago ex intentione representandi vtrumque, quæ vere esset vtriusque imago artificialis, quia vtrique esset similis, & ab vtroque procederet, vt ab obiecto cognito: ergo similitudo, in presenti cum maiori vnitæte, & perfectione.

6.  
3. Ratio.

Tertio ergo respondet D. Thom. Filium esse imaginem, quia non solum in re procedit similis, sed etiam formaliter ex modo processions suae, quia nimirum procedit per intellectum, qui per se tendit ad assimilationem; Spiritus S. autem, licet in re sit similis, quod negari non potest, non tamen procedit formaliter, & ex vi processions suae tanquam similis, quia procedit, ut amor. Atque ita interpretatur Patres Graecos, nam sumperunt imaginem pro perfecta similitudine, quae est latior, & minus propria significatio illius vocis, nam ad proprietatem, & rigorem imaginis necesse est, ut formaliter procedat tanquam similis, quod supra in descriptione imaginis insinuavi, dices, debere esse similem ex vi processions. Hanc rationem late defendunt, & declarant Caietan. d. q. 35. & q. 27. art. 2. Capr. in 1. dist. 27. q. 2. Ferrar. 4. contra Gentes c. 11. & fere alij recentiores Thomistae. In summa verò solum dicunt, per actum intelligendi, ut sic, produci similitudinem rei cognitae, & ideo Verbum divinum considerata formalitatem suae processions ex vi illius producere simile, & consequenter esse imaginem, per actum verò amoris, ut sic, non produci similitudinem, sed produci inclinationem ad obiectum, atque ita Spiritum S. qui per amorem producitur ex modo processions suae non habere similitudinem, & ideo non esse imaginem.

7.  
Prima difficultas.

Tres verò difficultates supersunt circa hanc rationem. Prima est, quia non apparet ratio, ob quam ad imaginem necessarium sit, quod cum tanta formalitate recipiat similitudinem, satis enim videtur, quod re ipsa fiat perfecte similis. Nam in artificiali imagine, v. g. vel sigillo, quamvis casu, & praeter intentionem accidat, quod figura imitatur, si in re ipsa perfecta exiit, existimatur vera, & propria imago. Ad hoc autem facile dicitur, conditionem illam & per se esse valde probabilem, & ex doctrina Augustini, & communi conceptione imaginis non obicere colligi. Quia imago debet esse ad imitationem prototypi, & ab illo aliquo modo derivari, & ideo necesse est, ut vel ex intentione agentis, vel ex natura, & modo actionis fiat ad imitandum exemplar. Cum autem in naturali imagine non sit necessaria specialis intentio agentis, superest, ut imitatio, & similitudo debeat esse ex natura actionis, & hoc est esse ex vi processions. Et in exemplis adductis semper hoc saluatur, nam, licet videatur figura casu fieri respectu intentionis proximi agentis, tamen ratione habita ad ipsam actionem, semper sit ex vi, & intentione illius, alioqui non est propria imago. In praesenti autem materia divinarum productionum non est attendenda ratio ex intentione producentis, quia nulla procedit, sed sunt ex fecunditate, & quasi propensione talis naturae, ideoque merito semper consideratur formalis ratio, & vis processions.

Responsio.

8.  
2. difficultas

Secunda, & grauior difficultas est supra tacta, quomodo verum sit, Verbum divinum ex vi processions esse simile propria similitudine, & substantiali, secundum quam diximus esse imaginem, nam per intellectum, ut intellectio est, non procedit huiusmodi similitudo, sed solum intentionalis, ut patet in omni alia intellectuione, ergo est manifesta aequiuocatio in ratione illa. Quod si forte dicatur, sicut supra etiam insinuavi, in illa intellectuione diuina similitudinem intentionalem esse substantialem, & ita coincidere in Deo illa duo. Tunc insurgit tertia difficultas, quia hoc modo etiam Spiritus S. erit similis ex vi processions, quia, licet amor comuni ratione sua non dicat similitudinem, sed inclinationem, tamen amor diuinus necessario dicit substantialem inclinationem, & ita illa etiam duo, inclinatio, & similitudo ibi conuincunt, Quia Deus charitas est, utique substantialiter, ergo Spiritus S. procedens ut charitas, formalissime procedit ut similis.

Tertia.

Propter hanc difficultatem Torres q. 27. ar. 2. in 4. p. commentarij, recidit in hoc à Thomistis, & à D. Thom. fatetur, etiam Spiritum S. ex vi suae processions procedere similem, vnde consequenter negat ad rationem imaginis sufficere similitudinem ex vi processions, sed praeterea necessarium esse dicit, ut imago procedat similis ad representandum, & ideo Verbum esse imaginem, quia & simile, & ad representandum procedit, nam proprium Verbi est representare, Spiritum S. autem non esse imaginem, quia, licet procedat similis ex vi processions suae, non tamen ad representandum, cum Verbum non sit.

Hanc verò rationem neque intelligere, nec probare possum. Non enim intelligo, quid sit illud representare, quod praeter formalem similitudinem in imagine postulatur. Aut enim est illa propria representatio, quae formaliter fit per actum intelligendi, aut aliqua alia, primum dici non potest, secundum inuenitur in omni re perfecte simili ex vi processions, quamuis Verbum non sit, ergo illud representare nihil est, quod ad rem praesentem conferat, neque ex defectu illius potest Spiritus sanctus excludi à ratione imaginis. Minor quoque priorem partem patet euidenter in Filio alicuius hominis, ille enim est propria imago, ut Torres fatetur, & non habet representationem illam per modum Verbi, aut actus intelligendi, non est ergo haec necessaria ad imaginem naturalem. Vnde licet diuinum Verbum illam habeat, ad summum inde concludi poterit, esse imaginem speciali modo, & ratione, non tamen poterit excludi, quin Spiritus S. sit imago tam perfecta, quam esse solet qualibet imago naturalis, quae intentionalis, seu intellectus non sit.

Eo vel maxime, quod licet Spiritus sanctus non procedat per modum Verbi, in re ipsa habet totam representationem intellectualem, quam habet Verbum, quia habet idem intelligere cum Patre, & Verbo: imo ad perfectam similitudinem cum illis eam requirit, quia est per substantiam, & essentiam eorum, ergo si ex vi processions habet similitudinem perfectam, etiam ex vi processions habet hanc representationem. Vnde aliquando à Basil. vocatur Spiritus S. Verbum Filij, contra Eunom. cap. 10. Ergo iuxta illam sententiam nihil deest Spiritui sancto, quominus imago sit. Altera verò minoris pars probatur, petendo aliud genus representationis, nullum enim aliud ego intelligo, nisi representationem quasi obiectiuam, quatenus in re vna cognata alia cognoscitur, hanc verò habet imago naturalis ex eo praecise, quod procedit cum perfecta similitudine. Quod patet eodem exemplo filij humani, nam ille procedit ut similis ad representandum, veteriam aduerlarij fatentur, in eo autem nullum aliud genus representationis ex vi processions eius intelligi potest, ergo si Spiritus sanctus procedit ex vi suae originis perfecte similis, procedit etiam ad representandum, hac representatione obiectiuam, ergo erit imago.

Sed dicunt, non omne, quod procedit simile ex vi processions, representare suum principium, nisi ignis procedit similis ab igne, & tamen non representat illum, neque est imago eius, quia non est similior illi, quam alijs. Verum tamen non est de ratione imaginis, quod sit similior suo principio, quam alijs: nam vnus homo potest esse aequè similis, vel similior fratri suo, quam Patri, & tamen est imago Patris, & non fratris. Vnde, vi imago representet suum principium in particulari, non solam similitudo, sed & processio attendenda est, & ex hac parte ignis productus magis representat eum, quo productus est, quam alios. Et praeterea, quamuis deus, rationem imaginis iuxta commune vsum non attribui rebus homogeneis, loquendo de imagine naturali propter illam causam, quod ex natura rei omnes sunt aequè similes, nihilominus in rebus viuanti-

viuentibus, & perfectis, nihil inuenitur procedens pfecte simile suo principio ex vi processionis, quod non sit imago eius. Si ergo Spiritus S. ita procedit, cum sit viuens perfectissimum, erit imago, vel declarandum est, quid illi desit.

13. Respondent tandem, Spiritum sanctum nulli representare Patrem, & Filium, non enim ipsis, quia illi non cognoscunt se in Spiritu sancto. Eademque ratio est de alijs. Sed hoc etiam non euacuat difficultatem, nam imago non ideo imago est, quia actu representat, sed potius ideo actu representat, quantum est ex se, quia imago est. Quod si nullus sit, qui aliqua imagine utatur (vt sic dicam) ad representandum, neque vllus, qui in illa cognoscat: id extrinsecum est ad rationem imaginis, nec illam auferit, quia non est de ratione imaginis, quod actu representet, sed quod sit representatiua, quamuis fortasse nulli actu representet, quia vel accipit cognitionem ab illo, quae representat, vt de Spiritu sancto dicere aliquis posset, vel nullus assequitur perfectionem eius, quod in creaturis etiam respectu imaginis creaturae accidere potest. Addo, fortasse verius esse etiam Spiritum sanctum obiectiue representare suum principium, quia sicut, qui videt Filium, videt & Patrem, ita qui videt Spiritum sanctum, videt Spiritorem,

& ita Pater, & Filius vident se non tantum in se, sed etiam in Spiritu S. non tanquam in termino producto per cognitionem, quod est proprium Verbi, sed tanquam in quodam suo correlatiuo, & in obiecto omnino simili in natura, & in tota intellectuali representatione.

Ratio igitur discriminis quoad hoc inter Verbum, & Spiritum Sanctum ex formalitate processionis sumenda est, vt in simili dictum est cap. precedenti, & saepe in superioribus tractando de proprijs attributis secundae personae insinuatum est. Est ergo ratio, quia Verbo ex vi, & modo processionis suae communicatur diuina natura, vt intellectualis est, atque adeo secundum propriam rationem essentialem, secundum quam attendi debet naturalis similitudo in Deo: at vero Spiritui sancto communicatur essentia diuina solum sub ratione amoris, quae non ita formaliter, ac per se primo constituit essentiam Dei, propter quod non procedit similis in natura ex vi, & formalitate processionis suae. Quam rationem declarauit late capit. precedenti. Nam in hoc eadem ratio est de naturali imagine inter viuentes, quae est de filiatione. Et ita exhibi dictis obiectiones superius factae solutae sunt.

14. Defenditur ratio.

Finis Libri vndecimi de Trinitate.

INDEX CAPITVM LIBRI DVODECIMI DE TRINITATE.

- Cap. 1. Quid sit Missio.
- Cap. 2. Quae personae mittantur.
- Cap. 3. Quae personae mittant alias.
- Cap. 4. De Missione visibili, & inuisibili.
- Cap. 5. De Missione inuisibili.
- Cap. 6. De missionibus visibilibus.

LIBER DVODECIMVS DE MISSIONE DIVINARVM PERSONARVM.

**E**xplicuimus haec praedicata omnia propria, seu notionalia, quae diuinis personis secundum se, & ad intra, atque adeo ex aeternitate conueniunt: Solum superest explicandum praedicatum notionale, si quod est, quod de illis dicitur ex tempore, & cum relatione ad creaturas, fundata in aliqua mutatione ad extra facta in ipsis creaturis. Nihil enim potest de Deo, vel diuina persona ex tempore dici, nisi per denominationem aliquam extrinsecam a mutatione, vel inceptione creaturae, vt nunc suppono. Sunt autem multa praedicata, quae hoc modo dicuntur de diuinis personis ex tempore, vt creare, dominari, esse creatorem, Dominum, & similia, tamen haec non sunt notionalia, nec pertinent ad praesentem tractatum, quia non conueniunt personis ratione proprietatum, sed ratione vnus naturae, & ita omnibus inseparabiliter conueniunt, vt de creatione attigit Diuus Thomas 1. part. quaest. 45. artic. 6. Estque eadem ratio Suarez: de Deo trinuno,

tio de ceteris, vt explicite tradunt Concilium Lateranense, in capit. Firmiter, & capit. Damnamus, de summa Trinitate, & Fide Catholica, & 6. Synod. action. 4. in epistola Agathonis Papae, & in synodica suggestionem centum viginti quinque Episcoporum ibidem relata, & confirmata in action. 17. Item Concilium Toletanum 6. & 11. in principio. Ex quibus sumptum est illud Catholicum dogma, Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa. Quod late explicat Dionysius capit. secundo, de Diuinis nominibus, ostendens, haec nomina, quae ab operibus sumuntur, communia esse, & quasi essentialia ratione fundamenti, quod in personis habent, quia semper est vnus, & idem in illis, scilicet, vnus intellectus, vna voluntas libera, vna potentia. Vt late etiam tractat Augustinus libro sexto, de Trinitate a principio, & supra lib. 4. satis multa de hac veritate, ac vera vnitatem diximus.

Omissis ergo his praedicatis communibus, & quasi essentialibus, sola missio a Theologis ponitur inter